

rum æqualium, quique ejusdemq; speciei sint, basi-  
bus : erunt æquilatera & æquiangula : *Per 55. III. R.*

Ex doctrinâ Triangulorum Planorum tam facilis est eo-  
rum, quæ jam dicta sunt, cognitio, ut non videam cur Demon-  
strationibus anxie conquisitis, in re satis manifestâ, & Mihi &  
Lectori Meo molestus sim. Quin imò, cum superius omnia in  
Rectilineis demonstrata, ideoq; nota sint, nihil impedit, quò  
minus hæc quasi principiorum loco habeantur. Pergamus i-  
taq; ad ea quæ restant.

Sic fuerunt Affectiones Triangulorum Sphæricorum  
communes Triangulis etiam Rectilineis : restant  
eæ, quæ hujus loci propria & peculiaris sunt, deq;  
quibus Rectilinea nihil plane participant.

I. Trianguli Sphærici tria latera simul sumta sunt mi-  
nora duobus semicirculis. *Per 39. III. R.*

Facilis est hujusce Problematis Demonstratio : modo da-  
ti Trianguli duo latera quæcunq; usq; ad concursum semicir-  
cularem continuentur & compleantur, ita enim facile appare-  
bit tertium latus continuationibus illis multo esse minus.

II. Omnis Trianguli Sphærici tres anguli simul sumti  
sunt duobus Rectis majores. *Per 49. III. R.*

Contra quàm in Planis fiebat, ubi semper tres Trianguli  
eiuscunq; Anguli duobus rectis æquabantur : quo nomine  
facilimè non tantum in Rectangulo, sed & in Obliquangulis ex  
datis duobus Trianguli Angulis tertius habebatur. In Sphæri-  
cis nullum ejusmodi est subsidium, sed quivis Angulus est cal-  
culo subjiciendus, nisi constet eum rectum esse.

III. Triangula Sphærica æquiangula sunt æquilatera.  
*Per 54. III. R.*

In Re-